



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

Prætermissi Vel In Alios Dies Rejecti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

## II JANUARI.

## SANCTI QUI IV NON. JANUAR. COLUNTUR.

Octava S. Stephani.		Plurimi sancti Martyres Lichfeldiae in Anglia.	
S. Frontasius	} Martyres, in Gallia.	S. Rutila	
S. Severinus		S. Claudia	
S. Severianus		} in Æthiopia.	S. Auriga
S. Silanus			S. Vitalis
S. Maximianus		} Martyres, Sirmii.	S. Stephanus
S. Acutio	} Jerosolymis.		S. Argæus
S. Timotheus			S. Narcissus
S. Herissus	} Martyres, Tomis in Ponto.		S. Marcellinus
S. Artaxus			S. Basilus Ancyranus Martyr, Cæsareæ in Cappadocia.
S. Vitus		S. Isidorus Episcopus et Martyr Antiochiæ.	
S. Acutus		S. Siridon Episcopus.	
S. Tobia		S. Isidorus Episcopus Confessor in Ægypto.	
S. Eugenda		S. Macarius Alexandrinus, Abbas in Ægypto.	
Multi sancti Martyres Placentiæ, in Italia.		S. Martinianus, Archiepis. Mediolanensis.	
S. Defendens	} Martyres ex legione Thebæa.	S. Macarius Romanus, Eremita, in Italia.	
S. Socii		S. Marcus Surdus.	
S. Theopistus, Martyr.		S. Aspasius, Episcopus Elusanus, Melduni in Gallia.	
S. Sebastianus	} Martyres ex legione Thebæa in Pedemontio.	S. Maximus, Abbas et Martyr, in Gallia.	
S. Alverius		S. Bladulphus, monachus Bobiensis, in Italia.	
S. Theodote mater SS. Cosmæ et Damiani.		S. Adelardus Abbas Corbejensis, in Gallia.	
Plurimi sancti Martyres sub Dioclet. et Maximiano, Romæ.		Inventio capitis S. Vedasti aliarumque reliquiarum, Atrebatii in Belgio.	
S. Stratonicus	} Martyres.	S. Silvester Monachus in Sicilia.	
S. Macarius			
S. Abbanus			
S. Satorus			
S. Possessor			

NOT. 21.

## PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Concordius Martyr Bisolduni in territorio Gerundensi. <i>Ferrar. De eo egimus</i> 1 Januarii.	stratensis. <i>Chrysostomus vander Sterre. Omitto, donec sciam an publico cultu celebretur.</i>
S. Eugendus Abbas. <i>Notker. nos</i> 1 Januarii.	Alardus monachus Lukensis in Saxonia. <i>Kalendar. Cisterciense, et Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterc. Omitto, quia non existimo eum coli.</i>
S. Odilo Abbas Cluniacensis. <i>Martyrol. German. Usuardi editio Coloniensis anni 1490, et Parisiensis anni 1536. Maurolyc. Galesin. Molanus; et colitur hoc die obfestum Circumcisionis. De eo egimus 1 Jan.</i>	Theobaldus Abbas Cisterciensis. <i>Kalendar. Cisterciense, et Chrysostomus Henriquez. Nescio an colatur: non est in catalogo Beatorum et Sanctorum Ordinis Cisterciensis apud Menardum.</i>
S. Massus Parisiorum Episcopus. <i>ms. Florarium. Dicitur S. Dionysii Acta scripsisse. Nescio an colatur.</i>	Mathissus Episcopus. <i>Camerar. Ignotus alibi.</i>
Volusianus Episcopus Carsulanus in Umbria. <i>Ferrar. in gener. catal. Sanctor. nec satis significat an ut Sanctus colatur: ideo tantisper omitto.</i>	Stephana Soncinas. <i>Raissius in Peristromat. necdum comperi an ut Beata colatur.</i>
Cosmas Patriarcha Constantinopolitanus, Thaumaturgus, prædicatur a Menæis. <i>Eum omitto, donec certiora habeam argumenta, quia posterior fuit, quando Græci merito suspecti.</i>	Seraphinus dalla Porretta, Ord. Prædicatorum. <i>Extat ejus vita, quam mihi communicavit Exim. P. Hyacinthus Choquier ejusdem Ordinis, S. Theologie Doctor. Sed non puto eum coli.</i>
Salvia Virgo. <i>Florar. omitto, donec quæ sit cognovero.</i>	Willelmus Walcheus Hibernus Episcopus, Ordinis Cisterciensis. <i>Chrysostom. Henriquez. Sed hic neotericus est, nec colitur.</i>
Bernarius monachus Lerinensis, frater S. Adelardi, refertur ad calcem Bibliothecæ Lerinensis a Vicentio Barrali Salerna inter Sanctos Lerinenses: non exprimit tamen auctor an colatur. <i>Ejus mentio habetur in vita S. Adelardi.</i>	S. Florentius Episcopus. <i>Notker. Vide</i> III Januarii.
Stolbrandi Martyris translatio in Scotia. <i>Ferrar. in gen. catal. SS. Sed non magnam fidem mereri dicuntur, quos citat, auctores.</i>	S. Theopemptus. <i>Menæa. Forte idem est, qui</i> III Janua.
Odino Abbas Rotensis in Suevia Ordinis Præmon-	Theagenes Episcopus. <i>Menæa, nos</i> III Januarii.
	Philus, Episcopus ac Martyr. <i>Notker. Mendum hic latet: de quo hic, cum de sanctis fratribus Argæo, Narcisso, Marcellino; et in Actis S. Theogenis</i> III Januarii.
	S. Thelesphorus

- S. Thelesphorus, Papa et Martyr. *Hraban. Notherus, et varia mss. Martyrologia. At Romanum v. Januarii.*  
 S. Crispinus Episcopus Ticinensis. *Martyrolog. Gallobelg. At nos cum Romano Martyrol. vii Januarii.*  
 S. Julianus, Comes et Martyr in Sardinia. *Ferrar. quidam eum esse censent, qui inferius vii Januarii. colitur. Nos peculiariter de eo agemus xx Februarii.*  
 S. Sergius, Martyr Casareae in Cappadocia. *Menæa. De eo nos cum Martyrologio Romano. xxiv Februar.*  
 S. Congallus Abbas Benchorensis in Scotia. *David Camerar. Nos de eo agemus x Maii.*  
 S. Deodatus Episc. Nivernensis. *Florar. At Menardus habet xix Julii.*  
 S. Fredegandus. *Camerar. colitur xvii Julii.*  
 S. Silvester Papa. *Menolog. et Menæa Græcorum; Latini xxxi Decemb.*  
 S. Barbatianus Presbyter, Ravennæ. *Martyrol. Gallobelg. et ms. Florar. nos xxxi Decemb.*

## OCTAVA S. STEPHANI.

Consignata est S. Stephani Octava fastis Ecclesiasticis Romanis, Bedæ, Notheri, Bellini, Maurolyci, Galesinii, etc. De ritu Octavarum alibi agemus.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

FRONTASIO, SEVERINO, SEVERIANO,  
SILANO.

NOT. 22.  
SECULO I.  
II JAN.  
Flor.

**H**orū hodie Natalem Refert Usuardi editio Colonienſis anni 1321, his verbis: Frontasii Martyris et sociorum ejus. Eadem fere ms. Florarium Sanctorum. Hanc eorum mortis historiam descripsit ex ms. codice Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti Rosweyduſ noster; quam suspicor alibi fideiorem et fusiorem extare.

## PASSIO.

Discipuli  
fuerunt S. Frontonis, de quo  
25 Octo.

Comprehenduntur.

S. Silanus musicus.

Marc. 16.

Sancti Frontasius, Severinus, Severianus, atque Silanus a Beato Frontone primo Petragorensi Episcopo ad prædicandum missi, dum undique verbum Dei seminarent, a Squiridone Præsede apprehenduntur. Dixitque ad eos: Dicite mihi, unde estis, et quibus nominibus vocamini? Non solum enim non sacrificastis diis, sed et sacrificare volentes evertistis, et templa eorum diruistis, et nescio qua auctoritate hæc facitis. Frontasius dixit: Tu Præsides expers virtutis divinæ, cur nos interrogas, cum omnem veritatem condemnes? Sed recogita prius, quis animam tuam et corpus fecerit; et intelliges veritatem. Simulachra autem gentium opera sunt manuum hominum, nec sibi prodesse, nec alios juvare possunt. Squirrelus dixit: Video, quia in multiloquio confiditis, quod a magistro vestro didicistis. Severinus, et Severianus responderunt: Multiloquium nostrum verum est. Tu colis idola, quæ sunt metalla dæmonibus consecrata, surda, muta, et vana. Squirrelus dixit: Lucrati estis vitam, si sacrificaveritis. S. Frontasius dixit: Lucrum nostrum in Christo est vivere et mori.

2 Tunc Præsides conversus ad Silanum dixit, qui sciebat canere cithara, symphonia, et lyra: Tu autem juvenis, quare non sacrificas? S. Silanus respondit: Ego Domino meo Jesu Christo sacrifico, qui per baptismi sui gratiam mundum lavit maculatum. Squirrelus dixit: Quomodo lavit? Silanus respondit: Dominus meus Jesus Christus dixit discipulis suis: Ite in mundum universum, et prædicate, baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Qui crediderit et

baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Tu itaque Præsides si credideris in Christum, et baptizari te permiseris, salvus eris; si vero non credideris, condemnaberis.

3 Tunc Præsides iratus jussit eos extra urbem in viridi prato perducere, atque duris quæstionibus examinari: quibus etiam ad exemplum Redemptoris nostri spinis coronatis ferreis, capita eorum vallo confixit, et in quolibet eorum, ex utraque parte eorum novenos etiam clavos exhibuit. Attamen sævus furor milites Christi nullatenus prævaluit revocare. Dehinc vertices sacros tot spiculis dilaniatos, tantaque gloria passionis redimitos, in utrisque eorum spatulis, dextra lævaque novem ferreis sudibus interjectis ossibus confoderè fecit. Cumque iis tormentis eos superare non posset, data sententia jussit eos decollari. Sancti vero Martyres genua in terra flectentes, Deo commendantes animas suas, cervicibus spiculatoribus supponentes, pro Christo martyrium celebraverunt.

4 Cumque Martyrum corpora abscissis capitibus impii satellites in opprobrium deiecissent super nudum cespitem, cælica virtus adfuit: nam truncate capitibus, corpora eorum repente divino in eis irruente spiritu, acceptis propriis capitibus in manibus suis, sine humano juvamine, in sui pedibus eriguntur: sicque Sancti ad alveum fluminis, quod Yla dicitur, accesserunt: et siccis vestigiis super undas iter suum direxerunt. Transmeato ergo flumine, per clivum collis incessu pedum, cunctis cernentibus et stupentibus mirabiliter subierunt: et in ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis in Podio, ubi S. Fronto orabat, pervenerunt; et capita sua, flexis genibus ante pedes ejus deponentes, corpora sua in modum crucis extenderunt.

5 Sanctus autem Fronto cum Aniano Presbytero et multis populorum turmis, Frontasium, Severinum, et Silanum in prædicta ecclesia cum honore et hymnis cælestibus tradidit sepulturæ. Severianum vero ad preces cujusdam devotæ matronæ in alio loco, non longe a sanctis Martyribus sociis, honorifice tumulavit. Passi sunt sancti Martyres iv Non. Januarii, Claudio imperante.

Torquentur.

Spinis ferreis coronantur.

Sudibus ferreis confodiuntur.

Plectuntur capite.

Capita gestantes super aquas ambulant.

Sepeliuntur.

DE